

tres producere mercedis ad TE ex speciminibus eruditionis præviis derivandæ interpretes testesve. Primus, quem Saxo Saxonem imitaris, temporis servata serie.

HVGO COMES BLANKENBURGENSIS

Dictus & HERMANNVS (a) Stirpe satus fuit illustri Comitum Blankenburgensium. Proavus BODO circa seculi a nato Christo undecimi finem mortuus in binis revixit filiis. Eorum prior natu HVGO Ecclesiæ cathedralis Halberstadiensis Canonicus in Galliam ivit & in Parisiensi suburbio cœnobium S. Victori sacrum condidit. (b) Posterior natu POPPO, avus Hugonis nostri, Comes Blankenburgensis circa duodecimi seculi initia mortuus filios habuit REINHARDVM Episcopum Halberstadensem, CONRADVM & SIGFRIDVM. Ex Conrado noster prognatus est. (c)

HOPMANNUS cum antiquorum Comitum Blankenburgiorum tabulam exhibet in opere, quod de insignibus Principum Brunsvicensium MStum reliquit, Ipponem vel Popponem, Comitem in pago Hartego Hugonis Patrem fuisse tradit. (d) Quicquid hujus sit Dynasta de Blankenburg recte dicitur Hugo noster a Johanne WINNIGSTADIO. (e)

Quamvis hæc progenies Saxonem fuisse nostrum evincat, testimoniis tamen ex iis, qui familiam aut ignorarunt, aut reticuerunt, petitis rem magis adhuc firmabimus. Antiquissimum omnium testimonium dat Epitaphium Hugonis quod Theodoricus ENGELHUSIUS in Chronico habet: *Hic jacet in Saxo nunc Hugo germine Saxo.* (f)

ALBERICUS monachus trium fontium, qui Chronicon suum ad A. MCCXLI. perduxit, testatur de Hugone dici eum natum fuisse de Saxonia. (g)

JOHANNES de S. Victore in memoriali Historiarum ad Ann. III7.
Hugo-

-
- (a) v. REIMMANNI *Halberstädtische Historie* ad A. 1120.
 (b) v. IOHANNES de S. Victore in memoriali *Historiarum* de Anno III7. & ANONYMUS de Comitibus Blankenburg. Per. 3, apud Joh. Geo. LEUCKFELDUM in antiquitatibus Blankenburg. p. 22.
 (c) v. LEUCKEELD l. c.
 (d) apud God. Guil. LEIBNITIVM *Introduct.* in *Collect. scriptor. Histor. Brunsv.* inser. vient, T. II. p. 20.
 (e) in *Annalibus Halberstadiensibus MSS.* apud MEIBOMIVM de Hugonis patria p. 431.
 (f) v. God. Guil. LEIBNITII *scriptores rer. Brunsv.* T. II. p. 1100.
 (g) v. ALBERICI *Chronicon* ad A. 1130. p. 264.